



1933 1623
DISSERTATIO IN AVGVRALIS CHEMICO - MEDICA
SISTENS

DISQVISITIONEM ANALYTICAM

ARCANI TARTARI

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO,
CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JVNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO,
DOMINO PRÆCEPTORE SVO PIE VENERANDO.

PRO GRADV DOCTORIS

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

Ad d. Sept. Anno MDCCXXXII.

ERUDITORUM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR RESPONDENS

ALBERTVS REICHARDVS REVSS

HORRHEMIO - WÜRTTEMBERGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis IOANNII CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



PROOEMIVM.

In inter multiplices usus, quos medicæ arti præstat chemia, primarium eumque ingentem esse therapevticum, nemo facile in dubium vocabit. Cum enim in genuinam & intimam corporum, ex quibus salubrem pro ægris petimus victum, optime non tantum nos deducat notitiam, sed & instrumenta suppeditet, eas eliciendi partes, quæ scopo nostro præprimis inseruiunt, & has iam ab inertibus iam a virulentis depurandi methodum doceat: tum chemicis omnino laboribus efficacissima quæque accepta referimus medicamenta, quibus aliena in corpore humano corrigere & expellere, ac declinantes a via naturali motus in ordinem redigere multum valemus. Si nihil esset, quod testimonii loco ad huius asserti probationem adduci posset, unicum musti exemplum, vegetabilis regni sobolis, sufficeret. Quam enim varias subire mutationes, quamque nobilia, actuosa & desiderata artibus chemicis suppeditat concreta, quæ frustra in eo ante quæreres, quam per artificiosam resolutionem partium inertiorum sequestratio, laudabilem elevatio,

A 2 & in

& in nobiliora composita coniunctio facta fuerit. Quæ immutationes neminem latere possunt, cui vel solius fermentationis nota est historia, inter cuius producta eminent vinum, acetum, sex & tartarus vini. Ipsa hæc si quoad novas analyseos & syncrificeos species, quibus miscibilium & mixtorum numerus maximopere augetur, iterum considerentur, ulterius asserti veritatem confirmant. Sicut autem ad scopum meum folus *vini tartarus* iam spectat: ita, reliquorum productorum ultiore evolutionem hic prætermittendo, ad id progedior, quod ad finem meum proxime pertinet. Faxit Deus, vt hic labor sit utilis ac salutaris !

Q. D. B. V.

§. I.

Quid sit tartarus vini, non est, vt prolixius describam: plurimi enim vel vulgatorum hominum perspectum habent, quod tanquam sal essentiale ex vino, post fermentationis motum & plurimarum impuritatum fecumque terreo pinguium factam eliminationem, ad latera doliorum, sub forma crystallorum deponi soleat. Hic prædominante suo sale acido, quod gustui manifestissimum est, cum partibus oleosis & terrestribus in solidas crystallos compacto, viribus quidem non contemnendis pollet, dum biliosos in corpore peccantes humores temperat, & ad aluinam excretionem disponit; nihilo tamen minus virtus eius ob crudiorum substantiam & mixtionem aquæ agre solubilem, vix ultra primas vias extendi iudicatur; ad minimum profundis in corpore animali hærentibus

tibus virtutis nunquam vel rarissime tantum destinatur. Quod si vero pyrotechnice disquisitioni subiiciatur, tam penetrantia & actuosa deteguntur principia, quæ cum in crudiore sale adhuc essent abscondita, vix in eo credidilis.

§. II.

Etenim tartarus ex retorta igne secundum artem per gradus, successiue auctos, destillatus, exhibet pri-
mum *agnam* limpidam, acidulam; deinde *spiritum* pene-
trantissimum, qui sub distillatione nullo facile luto abs-
que ruptionis periculo in vitris coërceri potest, quin e-
lasticitate sua penetret & vasa displodat. Hic, corpori
animali applicatus, volatili sua & penetrante virtute
tartarum in concreto adhibitum longe omnino superat,
quia efficaciter resoluit, atque diaphoresin & diuresin
potenter commouet. Postea obtinetur *Oleum*, idque
duplex, alterum admodum volatile, alterum ninus. Il-
lud quidem mira pariter & incoercibilis est penetratio-
nis, ac proinde efficacissimum in tumoribus corporis
externis, frigidis nempe, discutiendis, & morbis liga-
mentorum, membranarum tendinumque curandis. Hoc
autem ascendit crassum, fetidum, nigrum & tenax val-
de, nisi quidem postea repetitis cohobationibus, fixa
terra deposita, in subtilissimum quoque & volatile oleum
exaltetur. Tandem cum *terra* fixa insipida remanet *sal*
copiosum, acerrimum, alcalinum, per solutionem in a-
qua, filtrationem & inspissationem a terra depurandum.
Sic ignis beneficio a compedibus quasi suis liberantur
ea, quorum virtus priori mixtione sepulta omnino late-
bat, quæque actuosa in tartaro demonstrantur, & ex eo-
dem vel educuntur, vel producuntur, accedunt ad sta-
tum vel salino-acidum, vel alcalinum vel oleosum.

A 3

§. III.

§. III.

Hisce erutis chemicorum non acquiescit opera. Nam cum nonnulla horum productorum, si hoc subtilitatis statu applicarentur, iusto essent calidiora & actuosa: tum artifices multum desudant, ut, quæ sic purificata & sublimia sunt, in nouam & talem quidem cum aliis reducantur unionem, sub qua tutiores effectus præstant. In eundem finem hæc de *Arcano tartari*, seu, ut alii dicunt, *tartaro regenerato*, directa est tractatio.

§. IV.

Non disputandi autem animus est, quo iure tartari regenerati titulus ei competit, neque *arcani* nomine illud ex ea ratione venire puto, quod novum sit inventum & hactenus arcanum. Est enim decompositum in ipsis officinis nostris pharmaceuticis satis cognitum, & sicut verba valent ut nummi, ita nomen hoc receptum retinebo. Paratur autem illud, uti notum est, ex sale tartari fixo, aceto atque spiritu vini; de quo decomposito ut medicas, quas possidet, virtutes eo felicius expondere possim, necesse omnino erit, in principia, ex quibus illud conflatur, accuratius inquirere.

§. V.

Itaque quod ad ortum salis tartari fixi attinet, ex §. II. liquet, quod sub finem destillationis summo & ad combustionem usque aucto ignis gradu, subiuncta elixivatione, in lucem prodeundo *alcalici* salis indolentis acquirat, quemadmodum cuncta salia, quæ tam ex herbæ kali, ad salsa aquas crescentis, quam reliquorum vegetabilium incineratione proveniunt, ob effectuum similitudinem & convenientiam, alcalia appellari solent. Inter hæc ipsa vero primas tenere iudicatur nostrum ex tartaro productum.

§. VI.

§. VI.

Non sine prægnantibus autem rationibus ex hisce phænomenis quæstio a multis iam diu mota fuit, num salia isthæc, quæ tam uniformi modo ex tam diversis vegetabilibus obtainentur, prius iam in concretis suis fuerint, adeoque etiam nostrum sal formaliter ad tartari compositionem concurrat? Verum enim vero qui ignis in vegetabilium destillatione perpendit vires, quibus, facta dissolutione, ea, quæ subiectum aliquod continet, separat quidem, sed iis simul novas passim mixtiones conciliat, ille facile perspicet, tartarum principia quidem materialia salis alcali suppeditare, formam autem ab ignis violentia dependere. Si quidem nullum hactenus inventum fuit sal, vel naturale, vel ex vegetabilibus ulla arte *eduicatum*, quod cum dictis lixiviosis conveniret. Materialia ergo principia, ex quibus hæc salia alcalica constantur, eorumque componendi modus accuratius iam erunt pervestiganda.

§. VII.

Annotatum est supra §. I. tartaro inesse acidum copiosum, manifestissimum; & sub destillatione aquam, spiritum, oleum & terram provenire, quæ acidum illud mirum in modum iterum abscondunt §. II. Quid autem hæc, quæ ita distinete ex tartaro exhibentur, ad salis alcalici productionem referant, ex dictis tantum abest ut eluefcat, vt potius, cum simultanea eorum sit genesis, alia pro sale fixo principia præsupponenda esse exinde quispiam iudicaret. At vero egregie hic succurrit *Helmontii* experimentum: si, inquit, tartarus crematur, unciae sedecim vix dant binas uncias cum dimidia salis alcali; ut ergo tredecim cum dimidia uncia calcinando perierint volatiles (nimirum sub forma aquæ,

aqua, spiritus, olei); istæ tamen unciae sedecim si desillentur, ac denuo imbibantur in suo carbone residuo, fixo, adhuc quatuor uncias salis cum triente dabunt per cohabitationem. Iam si considereremus modum, quo factæ sint quatuor posteriores unciae, de duabus prioribus eundem iudicare & statuere vero est simillimum. Unde iusta omnino erit consequentia, quod iisdem ex principiis, quæ aqua, spiritus & oleum habent, confletur etiam sal alcalicum, modo principia illa cum capite mortuo fixo (sub nova coniunctione) sufficientem coagitationem igneam sustinere cogantur. Cum vero aqua, spiritus & oleum non sint simplicia producta, sed composita, Chemicus rationalis in iis nondum acquiescere, sed ulterius considerare debet, quod, si resolvantur in statum, quo usque licet simpliciorem, abire soleant in principium oleosum, acidum, aqueum & terreum. Quæ itaque ad salis alcalici genesin concurrere concludinius.

§. VIII.

Si reliquas intueamur plantas, quæ alias salis alc. proventui favent, in iis præter aquam copiosam & terram fixam, oleum & sal essentiale demonstrantur. Sal autem essentiale non unam eandemque in omnibus obtinet indolem, modo magis ad nitrosam, ut in plurisque, modo ad salis culinaris naturam, exemplo veronicae, modo ad aliam accedit. Quemadmodum vero omnia salia sub crystallorum forma conspicua, acido universali, quod in vitriolo est purissimum, originem debere, & differentiam saltum in diversitate principiorum vel mixtorum aliorum ei associatorum, constituerunt; ita vero simile est, tam diversas salis essentiales species isto sui principio, quod omnibus est commune, nempe acido universali, ad salium alc. genesin etiam

etiam in plantis concurrere ; ut sic §. antec. assertum de salis alc. principiis confirmetur.

§. IX.

Quod vero neque acidum neque oleosum hic excludi possit principium, pluribus evinci potest experimentis; e quibus unicum illud sufficere potest, quod ab Excell. Stablio in *Chem. Dogmat. Experim.* p. 85. proferatur: Si nimis planta, notabilem salis fixi copiam igne alias exhibitura, oleoso resinosa parte penitus exuatitur per spiritum vini rectificatissimum, repetitis, quounque opus fuerit, vicibus assusum; neque hanc spiritu inflammabili extractam partem, neque reliquam herbaceam, cuius decoctum filtratum & inipissatum sal escentiale, crystallinum, suppeditat, expectatum alcali in igne præbere; sed illam igne consumi, hanc autem in sal nitrosum abire. De aquo principio, quod æque ac reliqua ad salis alcalici generationem concurrat, non est ut seorsim dicamus.

§. X.

Neque etiam terrestris, & quidem, vt cum *Beccheri* loquamur, vitrescibilis principii necessitatem facile quispiam in dubium vocabit, qui vel a priori consideraverit, quod illud, ceu hypostaticum, pro basi reliquis inseriat, vt sub fixa apparere queant substantia. A posteriori vero res clarissima fit: si sal alc. fixum, purissimum, in crucibulo igne quam fortissimo diu uratur, & postea subtili, per humidum ex aere attractum, solutione deli quatoria in liquorem iterum redigatur, remanet semper puluis, qui meram tantum terram, eamque insipidam, exhibit. Repetitis eiusmodi calcinationibus & solutionibus longe maxima pars alcalici salis ibit in simplificationem.

B

cem



cem terram , cui tot operationum torturis erupta sunt reliqua principia volatiliora & efficaciora , quæ huic terræ coniuncta formam dabant salis sapidi , in aqua solubilis &c. iam vero liberata avolarunt. Terra itaque vitrescibilis, in se fixa, cum volatilioribus, nempe principio oleoso & acido, in peculiarem & intimam sub salis alc. ortu coëat unionem, necesse est.

§. XI.

Hinc mirum non est, quod vegetabilia, si recentia adhuc comburantur, uberrimam tunc præbeant copiam alc. fixi, post perpeßam autem, sub intestino fermentationis & putredinis motu, dictorum principiorum resolutionem, vt cum terra fixa firmiter non amplius in igne detineantur ac coagitentur, longe aliter se habeant ad prouentum salis alcalici. Etenim plantæ, in quibus prægressa satis longa maceratione oleum liberatur, & plenaria denique putrefactione cum sale essentiali in sal volatile urinosum commutatur, igni traditæ ne unum quidem fixi salis granulum pariunt, nec, emulso oleo & sale volatili, quicquam præter cineres insulsos, albos, mere terrestres, in fundo relinquunt.

§. XII.

Pleniores ergo adhuc meretur inuestigationem mutua illa & peculiaris plane istorum principiorum relatio, ignisque combinandi modus. De acidij habitu ad terram alias notum est, quod promte coëant, illud que huius ope sub forma solida, modo crystallisabili, modo deliquescibili appareat. Acidum cum olei phlogisto sulphuris naturam induere, neminem, artificiosam sulphuris confectionem, quæ hodie notissima est, edoctum fugere amplius potest. Oleum denique terræ coniunctum

Etum fixius & crassius fieri ex §o. Ildo eluet. Varia itaque horum principiorum pro varia eorum coniunctione est relatio, vt modo salina, modo sulphurea potius indoles prodeat. Specificus autem character alcalinus ignis virtute conciliatur. Antequam illius particeps sit, in atrum prius carbonem corpus combustibile ordinarie convertitur. Et hic ater carbonis color pendet ab oleo crasso, empyreumatico, quod quam diu copiose adest, sal alcali non adparet. Quoniam autem olea ciusmodi crassa summi caloris sunt capacia, non nisi summo & aperto igne, aeris liberoris & fabripiens concursu adiuto e carbone abiguntur. Sic enim motus particularum verticillaris intestinus excitatur subtilissimus, minimus, & ipsas quoque terrestres partes intensissime impellens, que tanto magis inter se colliduntur, quo copiosius comites habent oleosas phlogistas. Ita ergo intima & subtilissima fit coagitatio inter attenuatissimam terram, particulas phlogistas & acidas, siveque volatilia cum fixoribus, sub multa adhuc sui dissipatio-
tione, irretiuntur, & in corpus solidum, fixum, salinum coalescent. Acidum non ex uno oleoso tantum latere, i.e. sub forma sulphurea, terrae adiungi & in eadem figi; neque tantum ex altero terreo latere, sub forma solida salina, oleosum adoptare videtur, quoniam illic sulphureum fixum, hie salinum nitrosum potius prodiret concretum. Sed cum ante ultimi ignis gradum acidum iam nubat terrae, & oleum quoque nubat acido, hinc nullum superest dubium, acidum in forma quasi solida, salina & oleum in forma sulphurea, summo igne colliquefacta, vniuersitate in sal alcali fixum. §. Xlll.

Liceat argumenti loco huc referre verba *Helmontii*.
B 2 quæ

quæ de salis alcalici genesi in Tract: *Blas. human.*: in scripto, habet. *Dum ignis, inquit, tollit sulphur, sal quidem, tanquam principium magis subsistens, in liquatione concremationis arripit sibi vicinam sulphuris seu pinguedinis partem, eamque dum ab ignis tortura non sat valet tueri, partim sub larua gas simul evolat, aique empyreumatis odorem acquirit, partimque apprehenso sulphuri colliquando incorporatur, & verus carbo fit.* Quapropter sulphur, coniugio salis iam fixum, non celeriter e carbone in fuliginem tendit, sed sensim ac non nisi aperto vase. -- *Ac proinde in concreto ratione salis & collquisitionis, fixitas, alias non existens, subvicitur.* -- *Sal ex cinere salem deinde per colliquationem sibi similem efficit & quidem fixum.*

§. XIV.

Sulphur seu pinguedo in hac descripta alcalium mixtione terra ligatum in oculis maxime geritur. Quanquam enim in principio idem fuerit cum eo quod incipiente combustione statim auolauit (§. VII.); attamen, quia tantam (§. XII.) penetrationem sustinuit, nullum (verba sunt Beccberi in suppl. II. d. Phys. subterr. p. 787.) est dubium, combustionē sulphur vegetabilem per terram magis digeri, sibi, ac igneas, causticas & solutorias qualitates acquirere, easdemque, si postea volatilisando a terra liberarentur, penetrantiores redditas fore, quam si nunquam fuisse fixate & concentrata. Calculum hisce suum adiicit satis notum experimentum, quo per vehementem & diuturnam salis alcal. fixi cum calce viua calcinationem, acres illius salinæ alcalinæ virtutes adeo elevantur in causticas, ut ignis potentialis titulum iure mereatur.

§. XV.

Ne vero diutius iusto circa salis alc. investigationem hærea-

hæreamus, pedem nunc, vt scopo propiores fiamus, proferimus ad considerationem acidi. A posteriori tam constans & manifestus acidorum cum alcalibus symbolismus, mutuusque amplectendi quasi nisus innotescit, vt ideo vtrinque pro nota characteristica inseruiat, ista a reliquis salibus discernendi. Scilicet quoduis acidum cum omni alcali, cui immiscetur, illico ebullit; Ita ebullitio semper durat tantum ad certum usque gradum, & vbi determinata vtriusque proportio coniuncta est, vt nulla amplius per instillationem nouam excitari possit effervescencia, ad punctum saturationis hanc operationem peruenisse cognoscitur. Ac tum ex ipsis intime concretis conflatur sal illud, quod nec alc. nec acidi generis est, ac proinde neutrum seu medium & falsum appellatur. Sicut vero eiusmodi salium mediorum, pro acidorum potissimum differentia, ingens est numerus & varietas, ita ordinis ratio nunc postulat, vt genium illius acidi, cuius beneficio sal nostrum medium preparatur, explicatius enodemus.

§. XVI.

Acidum, de quo hic agimus, seu acetum vini est productum fermentationis geminatae. Ex musto enim seu succo vegetabili dulci, nondum spirituoso, per fermentationem primam fit vinum, seu liquor spirituosus. Fermentatione autem iterata vinum transit facile in acetum, quod non iam spiritum ardentem amplius sed acidum, ignem non alendi sed extinguendi virtute præditum, destillando præbet.

§. XVII.

Vt autem vinum in secundam hanc fermentationem acetosam deducatur, non unus tantum est modus.

B 3

Primo

Primo enim notum est, quodlibet vinum, nisi debite obseruetur, per se ad acescentiam proum esse. Deinde autem istam fermentationem proprio fermento, in quo nempe salino - acidæ partes prædoninium habent, multum adiuvari posse. Ita e. g. *Cel. Bærhanus* in *Chemiaæ suæ Tom. II. P. I.* p. 207. in compendio solicite & practice ex *Glaubero* acetificationis historiam describit; si nimurum vina aggregatae propriæ feci copiosæ, proprio tartaro in pollineni redacto, stipitibus, caulibus vinaceis, foliis acido-austeris miscentur, moventur, loco tepido, vasis ligneis seruantur, in primis in dolio penetrato prius vapore aceti; nouam fermentationem concipiunt, quæ, quibus cum cautelis dirigenda sit, prolixius loco citato videatur. Interea notum est, quod fermentatio etiam obtineri possit absque fermenti additione; cum enim in quolibet fermentationis subiecto moleculæ heterogeneæ, ex sale, oleo & terra constantes, laxo quidem, sed certo tamen cohærent nexu, & per aquam distineantur; hinc facile fit, vt, si quacumque occasione, e. g. per ignis calefactionem, substantiæ in primis spirituosoæ, mobilissimæ, quæ in vino est, dislocatio aut plenaria exhalatio a reliquis crassioribus, quibus interposita est, particulis contingat, prætentissima vini in acetosum statum degeneratio obseruetur.

§. XVIII.

In vtraque autem fermentatione notabile hoc occurrit phænomenon, quod tam in priore, vbi dulce mustum spirituoso - acidulum saporem induit, abundans materia terreo - pinguis & mucida deponatur, quam in posteriore, qua vinum in acidum acetum convertitur. Vuarum succus in statu quidem immaturitatis, insigni

in signi aciditate præditus, si examini subiiciatur, parum admodum, dulcis autem postea factus, longe plus illius pinguedinis exhibet. Itaque sicut terreo-pingues & mucidae eiusmodi particulae saturandis & obtundendis salibus apte sunt, ita quo copiosius deponuntur, eo magis falsedo tam in vino quam aceto manifestatur. Quae de cauſa vero simillimum esse iudicamus, hanc falsedem quoad maximam admininimum partem actu iam in liquore fermentabili extitisse, & nunc tantum expediri apartibus terreis obtundentibus & pinguibus obviancibus.

§. XIX.

Eo ipso autem nullo modo statuimus, quod cum aciditate immaturi succi congruat aceti aciditas, quodque nihil prærogatiæ sub tot resolutoriis & combinatoriis fermentationis actibus acido illi additum sit, aut spirituose partes, quæ præter acidas & terreo-pingues vinum habet, nihil ad euehendas acidi virtutes conferant. Notum enim est, liquorem acidum, qui sub terreo-pinguis materiæ sequestratione post iacturam spirituum inflammabilium nascitur, non esse generosum acetum, sed vappam tantum acidam, vinum corruptum, non acetum; ex contraria autem parte generosius spirituque opimo turgentius vinum si admoueatur fermentationi, optimum acetum parari. Et quemadmodum in vinosa fermentatione maximum artificium in eo versatur, ut cohibeamus & repellamus subtile & pingues partes, quæ sub forma halituum spirituorum nimium alias auolare solent; ita, ad generosius acetum generandum, cauendum est, ne vel nimio calore, vel nimis diu protraeta in aere liberiori fermentatione, spiritus volatiles dissipentur.

§. XX

§. XX.

Tametsi vero dici non possit, omnem ordinatio spirituum ardentium exhalationem in acetificatione præcaverti, cum potius ad accelerandam acescentiam plerumque illa leni calore promouetur; experimentis tamen auctore Becchero non minus certum est, quod si de vino generoso, spiritibus diuite, nihil plane auferatur, sed illud in phiola vitrea, orificio collquefacto, digestioni exponatur, fortissimum simulque & constantissimum acetum obtineatur; Interea licet hac ipsa via tardius procedat acetificatio, quam si more communi peragatur, compensatur tameu temporis dispendium aciditatis præstantia. Idem succedit, si auctore Excell. Stahlio, phiola altissima, quæ valde stricti colli est, vino ad colli vsque stricturam plena, balneo maris imponatur, quod ad feruidum æsum, non tamen ad actualem bullitionem vini calefiat, tumque iterum refrigerescat, ita breui tempore, odore & diaphaneitate pristinis depositis, in acetum conuerti vinum obseruabitur. Ex quibus non potest non elucescere, a salinis acidis, in dictis casibus extrinseco calore rarefactis & adiutis, successu temporis superatas esse spirituosas atque cum illis in connubium redactas.

§. XXI.

Iam si quis quæreret, quid partes spirituosa emolumenti & utilitatis in hac copula acidis adferant: huic penitio rem spirituum inflammabilium considerationem commendamus. Nam fermentationis vinose phænomena docent, partes oleosas & pingues cum aqucis longa interagitatione, collisione & attritione attenuatas & inter se coniunctas esse, quibus mediatoris loco & melioris unionis effectu subtilissimum iamtum intercessit acidum.

Hoc

Hoc enim non aptum modo est, coniugio eiusmodi nē-
etendo, sed & actu in fermentatione vinosa, quæ spiritus
ardentes fundit, iam adeſt (§. XVIII.); huic accedit, quod
illa composita, quæ aescere nullo modo possunt, ine-
pta quoque esse obſeruentur ad spirituum ardentium ge-
nerationem, & illo demum tempore, quo liquor fer-
mentans spirat volatile acidum, verus proventus arden-
tis spiritus contingat. Insuper si cum his experimenta
a posteriori conferantur, ubi e. g. inflammabilitate ole-
um, abstractione autem iterata super sal alc. fixum pro-
genies acida, alcalinam partem in mediam (§. XV.) trans-
ferens, manifestantur: tum extra omnem dubii aleam
positum est, spiritum ardente ex oleo, in aqua subti-
lissime resoluto & rarefacto, eique, intertextis subtilissimis
particulis acidis, vinito, coaluisse. Tales itaque exaltatæ
partes sulphureæ si iuxta §. XXI. in partium salino-acid-
arum connubium trahantur, his ipsis rarefactionem &
exaltationem non possunt non conciliare.

§. XXII.

Præter explicatas autem hasce spirituoso-sulphure-
as partes, quas in generosioris aceti mixtione æstimamus,
reliquarum etiam pinguium, quæ crassiores sunt, & sali-
nas antea obliniendo inuoluunt, rationem omnino habe-
re oportet. Vt enim salino-acidæ partes sub harum e-
liminatione (§. XVIII.) predominium suum, quod in ace-
to exercent, naclæ sint, tantum tamen abest, vt, ob arctum
& mutuum eorum connubium, secundæ fermentationis
motibus resolutoriis excuti omnes potuerint partes pin-
gues, vt potius quasdam earum, intefinis motibus magis
subtilias, intimius adhuc, subsequentibus in fermentatio-
ne motibus combinatoriis, innexas esse salinis persuadea-

C

mur.

mur. Quapropter acidum in aceto non quidem austерum amplius, ut in succis immaturis, nec tamen purum, sed oleosum, rarefactum & subtilisatum erit statuendum.

§. XXIII.

His ita a priori & ex syncrisi diductis pollicem pre-
munt, quæ a posteriori instituta analysis pyrotechnica
in aceti destillatione docet. Si enim acetigenerosi quant-
um lubet immittatur in cucurbitam vitream, & experi-
menti loco fiat destillatio ex igne primum leni, per gra-
dus successiue augendo; tum primum per alembicum
roris & sparsis, pro more, guttulis aqua leuiter tantum
acidula prodibit, quæ quartam circiter aceti partem con-
stituit. Deinde augendo parum ignem, atque eundem
continuando, donec de hoc residuo iterum due tertie ab-
latæ sint; liquor guttis iterum roridis appetet, saporis
vero longe acidioris, odoris etiam non ingrati quidem,
attamen quodammodo subempyreumatici. Postea,
igne iterum auctiore, ex residua quarta parte, retortæ in-
dita, exit liquor acidus valde, ægre ascendens, limpidissi-
mus, &c, qui vltimo expellitur, empyreuma valde olet.
Denique si vicefima circiter pars remaneat in fundo, erit
liquor ater, crassus, acidus, oleosus, qui empyreuma
valde redolet, &, si frigori exponitur, in forma crystallo-
rum sal essentialis acidum ad latera vasis deponit, reli-
quum terrestre mucido-pingue magna deferendo. Si
vero ad extremum usque valido igne vrgetur, dat acidis-
simum, ponderosum, empyreumaticum, fœtidum liquo-
rem, tandemque oleum miri nidoris; nigra vero sex re-
manet acida, quæ igne aperto exulta, abit in sal alcale-
scens & feces fuscas. XXIV.

Hinc itaque elucefecit, quantum pinguis & spissæ ter-
restris

restris materiæ, præter copiosam aquam diluentem, & præter spiritum acidum macilentum, acetum, quantumvis antea tenue & limpидum, in sinu suo adhuc foveat. Interim ex hisce dubium moveri posset, annon acetum stilatitium, (a copiosa aqua primum destillante & residuo magmate empyreumatico separatum), oleum ista operatione nunc penitus exuerit? Datur vero & hic eluctandi & veritatem detegendi via, si acetum eiusmodi iungatur corpori, cuius diuersus ad acidum purum & oleosum principium est habitus, quodque ideo divertium facere potest. Huic experimento in primis inseruit plumbum: Affundatur nimirum plumbo acetum destillatum bonæ notæ, quod, si phlegmate orbatum fuerit, *spiritus aceti* vocatur, digerantur per aliquod tempus in concluso vase. Tum, convenienti calore destillando, aquositas primum insipida separetur. Spiritus aceti concentratus retinetur in metallo soluto, quod ob dulcedinis rationem *sacchari saturni* nomen adeptum est. Deinde, adhibito igne fortiori, spiritus inflammabilis quantitas actu propellitur. Tandem, igne insuper aucto, promanat acidum purius, non iam oleosum, sed spiritui vitrioli energia sua fere simile. Iam, cum nulla ratione, spiritum istum productum esse plumbi, probari possit, merito concludimus, quod etiam spiritus acidis destillati habeat partes oleoso-sulphureas, intime acidis unitas.

§. XXV.

Ex iis quæ hactenus de salis alcali, spiritusque ardentis & aceti natura exposita sunt, aditum nunc patere spero ad perspiciemad ipsius quoque inde parandi decompositi naturam. Primum itaque coniungendum erit acidum cum alcali, acetum nimirum cum sale tartari.

tari. Num vero acetum simplex vel stillatitium eli-
gendum sit, iam erit dispiciendum. Si intimam mix-
tionem, quam acidum cum oleoso principio habet, con-
sideremus, stillatitium singularem quidem non habet
prærogativam; quoniam autem purius est, & expers mag-
matis illius crassi oleosi, quod empyreumaticum scoto-
rem ultimo ignis gradu assumit, præterea magis de-
phlegmatum, (§. XXIII.) conveniet omnino in hoc quo-
que nostro processu aceto simplici destillatum præferre.

§. XXVI.

Progradimur nunc ad ipsum modum, quo acidum
cum alcali amicabili complexu iungitur. Recipe sa-
lis tartari alcalici fixi, purissimi, quantitatem pro lubitu,
e.g. Unciam unam; affunde, in vase puro vitro
quocunque, limpidum, purum, forte acetum stillatitium,
donec sal aceto circiter opertum sit. Vix tum in principio ulla sensibus apparet effervescentia; id quod
mirandum. Si vero concutias diu & valide simul,
vel alio modo agites, sal tartari non modo solvitur, sed
& incipit sensim quedam exoriri ebullitio, at parva &
statim sedanda. Affunde plus de eodem aceto, & sic
oritur ebullitio paulo maior, quæ agitato liquore satis
fit manifesta. Si iam liquor ille qualiscunque lento igne
tantisper destilletur, dabit aquam puram, simplicem, non
acidam. Si vero liquori, quod ab humidi parte, insi-
pido phlegmate, liberatum est, denuo aliiquid aceti af-
funditur, tum ebullitio oritur prioribus maior, ingen-
ti cum sibilo & spuma, eo quidem fortior, quo propius
perventum est ad saturationem alcali. Postea abstra-
hitur denuo aliiquid humidi, & sic iterum obtinetur me-
ra aqua insipida. Liquor colorem limpidum, quem a-
acetum

acetum destillatum habuerat , magis magisque deponit, & , qui primum euasit leuiter fuscus, per gradus in atro-nigrum mutatur. Degustatus ille, qui adhuc ebullit, alcalinum, sed magis magisque mitificatum, exhibet saporem. Si pergas affundendo & leniter iterum abstrahendo, donec nullo modo excitari amplius possit ebullitio, liquor erit prorsus niger & saturatus. Depuretur per decantationem a fecce subsidente, vel, quod citius fieri potest, per filtrationem, ut, terra nigra relifta, liquor pellucidus euadat. Nunc demum infispilletur ad siccitatem, & remanebit massa salina ; cui si nouum acetum destillatum affundatur, sub abstractione non simplex amplius aqua, sed acidum immutatum obseruabitur. Vbi eosque aceti affusio est continuata, ut nullam amplius effervescientiam generet, &, si nihilominus ulterius pergeretur, acetum abstractum maneret acidum, sal tartari saturatum, & commixtione meta ponenda erit. Plenaria & ultima massæ exsiccatio breui temporis spatio non quidem peragitur, qui autem istam sub proportionato ignis gradu patienter expe&tat, iucundo spectaculo sequentia obseruabit: Ex imo vitri fundo, ubi massa ceu pingue oleum diffuit, protruduntur successiue & quasi prosilunt per crustam salinam, in superficie primi siceatam, bullæ salis soluti, quæ, humido evaporato, in forma pariter salina priori sali, iam siccato, insident. Hac ratione massa in miram molem successiue ita increscit, utin parte quidem superiore, formam exhibeat quasi bullularum albicantium salinarum, in parte vero inferiori , qua fundo vitri vicina est, lamellarum potius tenuissimarum, leuissime sibi in vicem appositarum, & argenteo fere colore nitentium. Unde non aberrabis, si vel cum lapide speculari vel cum talco

C 3

com-

comparationem instituas. Mira hæc forma anfam dedit, ut hoc productum *Terra foliata tartari* in officinis appellaretur.

§. XXVII.

Dicitis in §o. antec. annotationibus sequentes adhuc addimus obseruationes, quas ipsa praxis in sollicita terræ foliatæ tartari confectione cuilibet suggerere solet, & quæ partim tanquam corollaria ex prolixiori processus descriptione deducuntur.

1) In destillatione aceti, huic operi destinati, non opus est solicitam præcedaneæ eius dephlegmationi navare operam. Vix enim absque acidæ portionis dispensio phlegma a spiritu aufertur; in saturatione autem salis tartari cum acero euaporatio, etiam copiosi phlegmatis, acido adhærentis, leui opera fieri potest. Si quidem

2) Superfluum quoque esset phlegmatis aceti a sale abstractionem in vasis clausis, destillando, peragere. Cum enim ex §o. antec. manifestum sit, inertem tantum & insipidam ex aceto reddi aquam, eundem scopum aperta, modo lenis fuerit, euaporatione, facilitiori & commodiori assequi possumus via. Interim si quispiam aquam istam, commotus vel per amorem cohærentis antea acidi, vel ob acceptam per destillationem puritatem, usibus destinare vellet, quemadmodum *Wedelius* in depurando opio illam amat: aquei menstrui vires commode omnino supplere poterit, si clausis vasis instituta per retor-tam destillatione capiatur.

3) Ut salis alc. & spiritus acidi, multo phlegmate diluti, eo subtilior & melior fiat unio, conuenit, miscelam ante abstractionem phlegmatis tantis per seponere, vel, quod valde suaderem, euaporationem admodum lento ignis gradu instituere. Ita enim cauebitur, ne spiritus qui-

quidam acidi, ante salis ale. amplexum, violento modo
abripiantur.

4) Non sine ratione, in descriptione processus, affi-
sionis acidi cum abstractione phlegmatis suasimus alter-
nationem. Unica enim aceti, in primis frigidi, ad cessationem
vsque effervescentiae facta affusione non ita bene
nec certo attingi potest punctum saturationis. Optime
vero, ubi, sub continua phlegmatis abstractione, semper
concentrator ferratur liquor, & simul super lento
igne calidus. Ita etiam facilior est acidi & alcali mu-
tua actio atque reactio, ut acidum omne in sale figatur.

5) Quo propius ad saturationem peruenit alcali, eo
plures feces nigra & terrestres in conspicuum veniunt;
supervacaneum ergo & inutile foret studium, depura-
tionem sub ipso processu aliquoties repetere, sufficit e-
nim unica, qua determinato iam puncto saturationis in-
stituitur; effectu quidem eo meliore, quo concentrator
factus est liquor per evaporationem antea institutam.

6) Commixtio & evaporatio potest quidem etiam
peragi in vasis sigulinis vel ferreis, quod in officinis
pharmaceuticis plerumque fieri solet, praestant tamen vi-
treorum. Ad minimum saturatus & post depurationem
concentratus liquor ex vitreis inspissari aut exsiccati
debet; subtile enim sal sigulina tandem penetrat, adeo-
que sui dispendum facit; ex ferreis autem sali hetero-
genea facile materia immiscetur, quoniam sub finem ex
immutato aceto aliquid acidi, evaporando, concentra-
tur, adeoque ferrum arrodere solet.

7) Quanquam sollicitudine liquor depuratus
fuerit, impediri tamen non poterit, quo minus sal sub
exsiccatione novas feces nigras ponat, facile autem ex
subiun-

subiuncta eius solutione, vel filtrando, vel decantando, separandas.

8) Aceti quantitas, quæ ad saturandum alcali requiritur, decies circiter & quater, si forte fuerit & dephlegmatum, salis pondus superare observatur.

9) Si tale sal alcali huic operi admoveatur, quod rectificationi spiritus vini aliquoties antea iam inserviit, minor acidi quantitas sufficere solet.

§. XXVIII.

Terra foliata tartari, iuxta præscriptam methodum parata, est sal medium, natum ex alcali tartari & spiritu acido-oleoso aceti. Sal tartari erat fixissimum, alcali acerrimum, cauicum & igneum; ex aceto destillato sibi associavit & retinuit omne acidum, quod aceto inerat, dimisit omnem aquam, quæ acidum diluebat, ut adeo id, quod sali accessit, concentratissimum & omnium fortissimum iudicandum fit. Nihilominus nostrum sal, ex duobus hisce acerrimis conflatum, nullam eiusmodi acrimoniam, seu rosivam vim, amplius exhibet, sed neutrius iam factum est generis, blandissime naturæ, super linguam subtilissime, facilime & quasi insensibiliter diffluens. Præterea ad ignem non adeo difficulter liquatur. Ceterum, ab aliis quidem, hæc terra tartari foliata vocatur *Sal essentialis tartari*, ab aliis vero, *tartarus regeneratus*.

§. XXIX.

Hoc sal medium in eo retinuit salis alc. attributum, quod impatientissimum sit siccitatis, quamprimum enim ex igne aeri libero committitur, attracta humiditate in liquidam formam abit. Hinc rarissime in officinis pharmaceuticis ostenditur terra secca foliata tartari. At serva-

servari nihilo minus potest in forma tali sicca, si sal ex igne siccissimum & calidissimum in vitrum calidum, loco siccо & calido, illico immittitur, & operculo probe munitum ab aëris accessu optime defenditur. Hæc est ratio, cur in officinis pharmaceuticis *liquor terre foliatae tartari*, ex sale in aëre sponte deliquescente oriundus, potius prosteret, quam terra foliata in forma solida sicca. Circa hunc liquorem duo annotanda occurunt momenta: primum est, quod ope talis deliquescentiae depuratio illius terræ quam optime fieri possit. Si enim caute instituatur, feces vel super tabula deliquatoria remanebunt, vel in liquore fundum petent, vel filtro separari poterunt. Alterum momentum est, quod determinata tantum humidi aërei copia a sale attrahatur, donec liquidum disfluat; ideoque liquor iæque ac sali constans & certum potest definiri pretium. Pharmacopœ autem Ioco deliquescentiae solutionem, vtpote breuiori via, plerumque faciunt, eamque siue cum aqua simplice, siue destillata quadam alia; & tum accusandi in eo sunt, quod interdum iusto maiorem aquæ quantitatem assument, pretium vero non imminuant.

§. XXX.

Antequam ulterius in salis nostri indolem inquirendo progrediamur, consultum ducimus, hactenus traditionæ sincrisi, quid tentata analysis doceat, addere. Itaque si terra fol. tart. modico igne siccata, absque alio additamento, igne fortiori tractetur, expellitur

1) antequam in fluorem redigitur, spiritus fortissimus acidus, illum, qui ex accenio & flammante sulphure exhalat, odore exacte referens. Hic ipse nares etiam ferit, dum sal in plenariam siccitatem redigitur.

2) quando sal fortiori igne cera instar fluit, & ita

D

deti-

detinetur, imo ignis insuper augetur, incipiunt tandem vaporess instar nebulæ retortam atque vas recipiens implere, qui, collecti & coagulati, destillando acidulum & olidum tartari spiritum simulantur.

3) Summo igne oleum verum sed exigua quantitate simul elicetur, flavum & saporis aromatici, instar febre illius, quod ex oleo tartari nigro, empyreumatico, per repetitas cohobationes nigris fecibus maximam partem exuto, acquiritur.

4) Remanent in fundo feces nigerrimæ, cum tale vere iterum alcalino, acerrimo, & hoc nonnisi quantitate recedit ab eo, quod in principio ad saturandum assumptum erat; si enim cum novo aceto destillato tractetur, omnia phænomena exhibit, quæ §. XXVI. descripta sunt, reduci nimirum denuo potest in terram foliatam, & repetitis hisce operationibus tota destrui.

§. XXXI.

Hæc analysis notabilem terræ fol. t. a reliquis eiusmodi salibus mediis explicat differentiam. Quodsi enim eadem analyticæ tractatio cum tartaro vitriolato instituitur, tum illa tam facili via minime succedere observatur; ad huius compositionem enim dissolvendam pinguis materia in subsidium venire debet. Sed ut redamus ad salis nostri principia, illa disiuncta seorsim nunc consideranda veniunt. De spiritu isto acido-sulphureo, qui primum prodit, nemo facile dubitabit, eum concentrato acetii spiritui, a sale non satis fixato, natales suos debere; qui vero sequitur, oleo magis imbatus, ex ipsa simul salis alc. substantia sulphurea aliquid abripuisse ex §. X. vero simile est. Quare in retorta remanet verum & immutatum sal alcali ex priore spiritu desertum; terra autem insipida, quæ ex olei simul colliqua-

liquati parte atrum colorem adepta est, ab altero nempe posteriore spiritu relinquitur. Ceterum notatu hic dignissimum est, oleum verum, quanquam exigua quantitate, simul ascendere; id quod novum argumentum expeditat, quod acetum habeat naturam acido-oleosam.

§. XXXII.

Hoc ipsum certe oleum cum acido intime vnitum (§. XXIV.) specificam salis nostri a reliquis medicis differentiam maxime fundare videtur. Præcipue autem ei conciliat indolem saponaceam, vñctuosam, quam & digitis contritum manifestat. Sicut enim sapo communis nascitur ex combinatione salis alcali fixi cum oleo nativo, quod etiam acidum continere solet: ita eadem attributa sali nostro competunt. Est enim in aqua perfecte solubilis & abstergentem præstat virtutem.

§. XXXIII.

Proxime autem ex eadem procul dubio natura saponacea pendet peculiaris terræ fol. t. subtilitas atque in spiritu vini vel rectificatissimo solubilitas. Sal enim tartari, quod inest, adeo eludit soluentem spiritus ardantis rectificatissimi virtutem, vt potius quam promtissime fundum petat, si ei iniiciatur, & sic methodum docuerit chemicos, absque ignis & destillationis adminiculo spiritus istos ab omni phlegmate liberandi. Neque vero qualiscunque per acidum facta saturatio, & in medium statum conuersio, tollendo isti obstaculo par exitit, exemplo tartari vitriolati & reliquorum medium salium. Nimium enim crassa & solida spiritui ardenti rectificatisimo esse eiusmodi salia creduntur, & principium salis alc. sulphureum ignis virtute (§. XII.) nimis arête est inclusum & incarceratum. Contra autem notum est, in sapone sal alcali solubilitati in spiritu ar-

D 2

den-

dente adaptari, dum mediatoris loco associatur oleum, acrimonia alcalina attenuatum. Certum itaque est, ab oleoso-saponacea mixtione terram fol. tart. exoptatam hanc acquirere proprietatem, vt, contra morem tartari vitriolati & reliquorum, spiritu vini rectificatissimo solui possit.

§. XXXIV.

Et sic deuoluimus ad tertium principium, videlicet ad inflammabile, quod cum composito nostro ex spiritu vini viendum est. Quanquam enim idem inflammabile materialiter sub aceti mixtione iam concurrat, postulatur tamen, vt iam etiam accedat formaliter. In spiritu enim aceti prædominium habent acidæ partes, nunc additur etiam spiritus vini, in quo eminent sulphureæ seu phlogistæ particulæ. Recipe itaque terram fol. t. secundum §um. XXVI. & XXVII. paratam, eamque, quantum absque virium iactura fieri potuit, siccissimam & calidam, illaque, antequam incipiat deliquescere, mox iniiciatur in spiritum vini rectificatissimum, tum illico solvi incipiet, assundendo perge, donec sucessiva salis solutio tota peracta sit; sic doceberis, quantum sit satis. Si definitam velis spiritus quantitatem, affunde eius triplum, vel si plus sumseris, abstrahē iterum eo usque, donec triplum cum una parte salis remaneat. Feces, quas sal habebat, in solutione fundum sponte petent, sive decantando separentur, vel, si subsidentiam expectare nimis longum foret, solutio depuretur per filtrum. Tum ad intimiorem unionem obtinendam aliquantis per adhuc digerantur. Sic alcali, acidum oleosum, & oleosum spiritus vini, tanquam efficacissima plantarum principia, inerti terra liberata, combinantur in æquabilem solutam massam, quæ sine acrimonia est, & proinde satis tuto effectum suum præstat. Atque hoc iam est, quod *arcuam*

tar-

tartari appellatur; vel ideo, quia arcana quasi methodo adunata sifit tartari atque vini principia, vel quia est medicamentum adeo nobile, vt inter arcana locum habere mereatur.

§. XXXV.

Alii, quibus soluta hæc in spiritu forma minus arri-det, volunt, vt spiritus tantum abstrahatur super terram fol. t. idque vel semel vel iteratis vicibus. Eoque dupli-ci potiuntur scopo: 1) spiritus acidi superflui, si qui fo-rent, commode sic avehuntur. 2) Blandum & subtile principium sulphureum, quod in spiritu est, sali conciliatur. Ob Hanc rationem titulus arcani tartari etiam terræ fol. t. promiscue tribui solet, & multis synonyma sunt: *sal essentiale tartari*, *tartarus regeneratus*, *terra folia-ta tartari*, *arcanum tartari*. Certum autem est, id melius vocari arcانum tartari, vbi & ipse spiritus vini symbo-lam suam contulit. §. XXXVI.

Occasione dictæ spiritus vini abstractionis, quam a-liqui, maioris purificationis scopo, coniunctis filtrationi-bus aliquoties repertæ solent, monere convenit, ne quis huic nimium studeat. Sub crebrioribus enim solutioni-bus, filtrationibus, exsiccationibus, albissima quidem evadet terra f. t. feces autem, quæ sub operationibus in conspectum venire solent, sèpius non tam educuntur & separantur, quam potius producuntur, maxime ubi ad plenariam exsiccationem fortior ignis gradus adhibitus fuerit. Docet enim §. xxx. quo modo destructionem pa-tiatur sal nostrum volatilitati propinquum.

§. XXXVII.

Sunt adhuc duo momenta, quæ ex processu terræ fol. & arcani tartari discimus, quorum alterum acidorum no-tiam auget, alterum alcalium naturam spectat. Quoad

D 3

pri-

prius, diximus §. xv. limitatam prorsus esse potestatem salis alc. ad imbibendum aceti acidum, & desinere in certis terminis, adeo ut yncia vna salis tum faturetur, quando ex vniciis quatuordecim aceti optimi acidum attraxerit (§. xxvi. n. 8.) Quodsi itaque pondus, quod ex acido tali accrescit sali, exacte aestimetur, quantitas genuini & concentrati acidi, quod in aceto aqua dilutum erat, intelligi poterit. Quo ipso opere solicite defunctus est *Himbergius*, e cuius experimentis, in *Monum. Acad. Reg. Sc. T. I. p. 52.* *Essegg.* communicatis, patet, vnciam vnam salis tartari purissimi, quod in se acidum omne ex vniciis quatuordecim aceti destillati optimi absorpsit, post exsiccationem autam fuisse pondere drachmarum trium & granorum triginta sex. Ut adeo pondus assumti alcali ad augmentum ponderis, quod ex aceto venit, sese habeat, vt grana 480 ad grana 216. Vel, si iuxta leges arithmeticas ytrunque huius rationis terminum dividas per 24, erit vt 20 ad 9. id est, si salis alcali sint partes 20, requiruntur acidi saturantis partes 9. Et augmentum ponderis respectu alcali sunt partes $\frac{9}{20}$. §. XXXVIII.

Ex his nunc vltierius deducitur ratio acidi veri & phlegmatis, quæ in aceto destillato continentur. Vncias enim quatuordecim aceti destillati habere acidi veri grana 216 (sive drachmas tres & grana triginta sex) §. antec. adstruximus. Vnciae quatuordecim sunt grana 6720. cui summae si subtrahas acidi puri pondus, nempe grana 216, remanebunt pro pondere phlegmatis, in vniciis illis quatuordecim contenti, grana 6504. Perrationem ergo 216 ad 6504, dividendo per 216, stabilitur, quod pars vna acidi veri in aceto destillato diluta sit partibus $\frac{30}{7}$. Quæ vero ratio omnino variabit pro gradu bonitatis aceti & institutæ antea dephlegmationis.

§. xxxix.

§. XXXIX.

Genuinum hoc & verum acidum, quod in alcali concentratum retinetur, chemicā arte resuscitari, & denuo oculos poni potest. Siquidem ex halotechnicis constat, alcalia attrahere quidem omnia, quæ nota sunt, acida, attenuam longe magis trahere hoc, quam illud, & fortius acidum expellere e sede alcalina aliud, quod debilius est. Iam vero spiritus vitrioli, sulphuris, nitri, & alii plures aciditatis gradu & puritate superant acetum: Unde, si exempli causa spiritus vitrioli affundatur terræ sol. t. statim alcali amplectitur acidum hoc fortius, atque dimittit a se acidum aceti, quo antea saturatum fuerat. Hac ratione, & hoc additamento, ex hoc composito spiritus aceti concentratus multo facilius, uti notum, quam solo igne expelli potest. In fundo vasis sal relinquitur, quod ex sale alc. & acido vitriolico tartari vitriolati naturam acquisivit. Ceterum, si quis ea, quæ de aceti examine exposuimus, ad reliqua etiam acida transferre defideret, huic speciminis loco commendamus, vt eadem Hombergii methodo, modo descripta, procedat.

§. XL.

Alterum nunc ex promisso §. XXXVII. attingimus momentum, occasione peculiaris illius opinionis, quam quidam adhuc de terra f. t. fouent. Neminem scilicet latere potest, quam decantata ab *Helmontii* maxime tempore sit *salis tartari fixi volatilisatio*, quantumue desudaerint chemici in ea obtainenda; siquidem *fixa alcalia si volatilisentur*, (ex mente & verbis *Helmontii* loquor) *magnorum pharmacorum potestate adaequant*, quippe vi incisionis, resolutionis & abstersionis, delata usque ad limen quartæ digestionis, tenacitatem coagulatorum in vasis fundamentaliter tollunt. Et quanta spes ac fiducia a Philosophis in his sa-

libus

libus volatilisatis collocetur, quod scilicet efficacissima menstrua sint ad sulphura metallorum extrahenda: vel vnius *Polemanni de Sulphure Philosophorum* conscriptus tractatus argumento esse potest. Quanquam autem laudum harum magnitudine ad tentandam volatilisationem multi passim sint allecti, & ex *Helmontii* quoque scriptis haud obscure colligatur, istam per olea essentialia destillata, quæ analogiam cum sulphure fixo salis alc. habent, esse præstandam: plerorumque tamen votis rarissime respondet euentus, ut etiamnum inter arcana referatur salis alc. fixi volatilatio. Quo factum est, vt alii alias vias ad assequendum hunc scopum sibi finxerint; ex quorum numero sunt ii, qui, methodum conficiendi terram f. t. edocti, salis tartari volatilisationem callere sibi persuadent.

§. XLI.

Ipse celeb. *Bœrhanius* in *Chem.* T. I. p. 830. ita dicit: *dubitanti* s̄pē edoc̄tus pulcra eff̄dā hujus salis (de quo nobis sermo est) in animali, vegetabili & fossili regno, annon hic ipse sit sal tartari volatilis *Helmontianus*, cui tantas adscriptis virtutes audior. Id sane vere dixero, forte non esse in hoc menstruorum genere aliud, quod magis meretur considerationem & applicationem. Mihi notabile viri cuiusdam innotescit exemplum, qui, cum totum semet emancipasset Chemicæ, ad sal tartari volatilandum preprimis adspirans, incidit in methodum, aceto destillato in hunc finem vtedi, & paratum inde arcanum tartari pro vero volatili sale tartari venditauit, religioni sibi ducens, hoc suum arcanum propalare. Cum enim egregias ejusdem virtutes medicas comprobasset usus, magnamque viro famam peperisset, prædictorum atque laudum, quibus *Helmontius*, *Starckey* & alii *Helmontii* asseclæ suum sal volatilisatum commendarunt, particeps facere suum quoque ar-

ca-

canum tartari nullus dubitauit. Quo autem iure volatilitatis prædicatum competat terræ f. atque arcano tartari, accuratius adhuc erit pervestigandum.

§. XLII.

Pro volatili venditur sal nostrum respechu primum formæ, qua comparet, *foliata*. Cum enim vitri ascendat altitudinem, imo in ipsum retortæ collum, tum pro sublimato facile nobis imponere potest. Neque negandum, sal tartari, quod antea tanquam solidum & fixum corpus in fundo vitri calcinatum jacebat, in statu iam longe subtiliori & volatiliori comparere; Attamen certum est, eo non peruenisse, vt in forma vaporis ex fundo vitri eleuatum & in sublimiore vitri partem repositum vere sublimatum dici mereatur. Adeoque volatilitas, quam assecutum est sal tartari in terra foliata non in sensu stricto sed relatiue tantum est interpretanda. Qua de causa *semiulatile* tantum habendum est. Porro volatile sal nostrum haberi posset ex hac ratione, quod secundum §. XXX. fortiori igne & repetitis destillationibus terra fol. tandem tota, exceptis fecibus, per retortam propelli possit. At vero hac operatione destrunctionem potius quam volatilitatem demonstrari, ex eodem cit. §. clarissime liquet.

§. XLIII.

Non defuerunt ideo alii, qui vt iustiori titulo volatilem dicere possent, terram t. t. ad maiores perfectio nem euphere studuerunt. Non attingam prolixius eos, qui destillationem eiusdem cum bolo armena &c. ad obtinendum desideratum spiritum salis t. volat, *Helmontianum*, instituerunt; nam ipse Starckey spiritum talem, *aceti radicati* nomine laudibus quidem in *Pyrotechnia sua extollit*, pro superflua tamen operatione agnoscit. Huc

E

poti-

potius refero eos, qui sal nostrum semiuolatile cum sale vel spiritu vere volatili, vrinoso, coniungere & sic sublimare annituntur ; qualem processum descriptum legitimus in *Tünckenii Lexic. Pharmac. parte priori.* Referendi huc porro sunt, qui per menstruam, imo diutius adhuc protractam, vt vocant, circulationem cum spiritu vini rectificatissimo prædicatum veræ volatilitatis cum virtutum augmento ei conciliare student. At tantum non omnes eiusmodi processus, qui innotuerunt, vel noxi, vel frustranei, vel super vacanei esse deprehenduntur. Unde spem operantium non solum non explent, sed etiam hos inanibus laboribus defatigatos eo ducunt, quo terræ foliatæ simplicibus viribus potius ac quiescere, quam vana perfectionum spe diutius maestari velint.

§. XLIV.

Præterea magnopere hic considerare oportet, quod sal nostrum, si vel maxime volatilitatis titulo ornaretur, minime tamen *alcali* volatilisatum (quod Helmontius vult) appellari posset. Notum enim est, sal tartati naturam alcali in composito illo terræ f. t. amisisse, & in *sal medium* esse commutatum. Nec satis factum est Helmontio, si spiritus qualiscunque volatilis ex alcali fixo destilletur, vel sal exinde sublimetur; sed alcalinæ inhæret naturæ, cui ne vis inferatur, quam maxime postulat. Quemadmodum itaque *Cel. Ludouici*, dum ex alumine, cum sale tart. sociato, sal volatile propellere docet, a mente *Helmontii* longe recedit; nec ii, qui addita bolo spiritum ex sale tart. fortissimo igne eliciunt, proprius accessisse credendi sunt: ita multo magis falluntur, qui extorquendo volatilia ex sale nostro, quod non alcali sed medium est, nodum soluisse sibi persuadent. Quare ad hunc scopus ne tanti quidem habendum esse videtur, *Cassii confitum*

lum, qui volatilisationi salis tartari multam operam navuit. Licet enim oleosum principium non deserat, pro mediatore tamen assumit acetum destillatum, quod sal alc. connubio oleoso aptius reddat.

§. XLV.

Porro sunt, qui circa salis tartari & alcohol vini coniubium tam anxie versantur, ut modo cum *Paracelso bal-samum Samech*, vel *quintam essentiam tartarisatam*; modo cum *Lullio sandam essentiam vini*, *unduosum spiritum vini philosophicum*, *Cœlum vinosum*, & necto quæ non arcana vegetabilia inde extorquere velint: Verum enim vero hī, in virtutibus arcani tartari simplicibus vt acquiescerent, omnino haberent, si modo ea, quæ iam prouulgata, ideoque inter arcana locum non amplius habere possunt, frivole non aspernarentur. Secundum *Lullium* enim perfectio salis, quod ex coniunctione alcohol purissimi cum sale tartari siccissimo (in quo totum combinationis artificivm consistit) eiusdemque facta crebriori abstractiōne oriri debet, ex eo astimanda est, vt sal istud, quod basis esse debet dictorum arcanorum, super carbones candentes detentum, instar ceræ cito liquefacat, & multum subtilis coerulei vaporis emittat. Nam idem deprehendimus in terra f. tartari, idem acidum subtile & sulphureum principium ex alcohol sali alc. per multas abstractiones communicatur, quod ex aceto facilime & copiose unica vice arripere potest. Itaque maneat sua cuique laus: optandum autem esset, vt in chemia & Medicina locum nunquam haberet tritum illud: *mundus regitur opinionibus*.

§. LXVI.

Supereft, vt ea, quæ haec tenus de principiis, genesi seu modo parandi, atque proprietatibus terræ f. atque arcana tartari exposuimus, ad usus specialiores Medicos nunc

transferamus; vbi primum contemplabimur virtutes huius salis sibi relicti, & deinde quid cum aliis iunctum efficiat. Descripsimus autem in antecc. terram f. t. tanquam sal decompositum, quod ex alcali fixo puro & spiritu acetati destillati acido-oleoso natum sit, & naturam salis medii saponaceam, semiuolatilem, admodum subtilem, ab aqua & alcohol promtissime solubilem assumserit. Sic etiam de liquore huius terræ f. exposuimus, quod idem sal solutum per humidum ex aëre attractum contineat. De arcano autem tartari diximus, illud ex hoc sale terræ nemp̄ foliatæ cum alcohol vini, tanquam menstruo, sociatum exsistere. Atque hæc omnia, quocunque nomine veniant, salis medii effectum præstant.

§. XLVII.

De his vt explicatius agamus, notum est, quantum desiderentur in praxi medica salia media. Negari quidem non potest, alcalium quoque & acidorum utilem esse in corpore humano effectum alterantem, si dextro tempore adhibita fuerint; atque pernicioſa fieri eorum potest efficacia, vbi humorum vitiis non exæcte respondent, debitaque ratione illis opponuntur. Qua de cauſa rationalis tam acidorum quam alcalium adhibendi modus semper supponit humores opposita ratione peccantes, cum quibus si coēcant medice assumta mutantur ex pristina & noxia qualitate in medium seu neutram. Propterea *Exc. Frid. Hoffmannus in Dissertatione de salium medicorum excellenti virtute p. 39. dicit:* Neque acida neque alcalina unquam proficere aut salutarem effectum in medendo præbere, nisi ea cautione. Medico perito administrentur, vt a dispositione humorum interna. Et præcipue eorum qui primis in viis confidunt, in sal medium tertiae naturæ mutentur, atque hac ratione quidis & solidis partibus blanda & amica reddantur. Tam con-

conueniens enim naturæ humanæ est salium mediorum temperata indoles, ut humores corporis nostri quales in que eorum admixtionem, secus ac alcalium vel acidorum, absque villa sui turbatione admittere obseruentur.

§. XLVIII.

Ipsas autem suas virtutes salia media exserere novimus, incidendo, attenuando, colliquando, resoluendo, digerendo, aperiendo, abstergendo, diaphoresin, ac, si in paulo maiori dosi exhibeantur, aluinam excretionem promouendo, omnisue generis excretoria stimulando. Adeoque destinari & opponi solent humoribus tam sanguineis, quam lymphaticis spissis, tenacibus, lentescentibus, coagulatis, abundantibus ad motum liberiorem ineptioribus & varias stagnationes, stases, oppletiones mucidas, viscosas, infarctus & scirrhos inducentibus, solidarum autem partium modo præcedaneis modo succedaneis adstrictionibus & obstructionibus tollendis.

§. XLIX.

Sicut autem superius iam declarauimus, inter eiusmodi salia *Chemicoo* respectu nostram terram f. t. non ultimum tenere locum: ita eandem si *medico* quoque respi ciatur oculo, caput præ reliquis efferre, prolixius nunc exponemus. Iam olim epim salia mediæ naturæ ex tartaro, item ex aceto & sale alc. vt sunt tartarus tartarisatus, terra f. t. magno in pretio habita fuerunt, quod confiram exemplum *Tackenii*, qui terram f. t. cum solutione oculorum cancerorum mixtam pro sale viperarum fixo venditasse, & sic ingentem pecunia summam accumulasse dicitur.

§. L.

Distinguit autem se se a reliquis plerisque salibus mediis primum eximia subtilitate, solubilitate & indole semi volatili. Cumque de sale *Ebsoniensi* *Exc. Hoffmannus* affir

met, quod ob particulas valde subtilem, & facilem solubilitatem, præ aliis salibus mediis alvum moveat, eo quod in poros tunicarum intestinalium altius se se insinuet, quam aliud quoddam, e. g. arcanum duplicatum, nitrum aut sal commune: tum potiori iure & longe eminentiori sensu de nostro sale prædicare licebit, quod vasa corporis nostri omnium optime penetret, obstacula fundat, amabilis stimulo naturam incitet, sive virtutem suam, ut blandam sic innoxiam & efficacissimam attenuandi, resoluendi, per alvum, renes, cutim euacuandi, comprobet. His virtutibus accedit, quod pro more salium mediorum absq; violentia operetur, calidis non obsit, pro sit frigidis, omni ferre ægro accommodatum.

§. LI.

Plane autem singularis & specifica efficacia ab oleo-so-saponacea eius natura pendet. Quemadmodum enim saponis virtus resolvens & detersiva notissima est, qua præstat ea, quæ oleo prius negabantur, salibus autem alkalicis solis minus tuto committerentur; ita nostrum sal gummoso-resinoso-pinguia concreta resoluit, & admistu suo digestuque in æquabilem solutam massam per corpus facile meabilem redigit. Exemplo & argumento esto *myrra*, succus gummoso-resinosus, qui nec per aqua sola, nec per spirituosa menstrua totus soluitur, nec per alcalia satis solubilis redditur; quando autem lege artis cum sale nostro digeritur, intime & inimitabili fere modo dissoluitur, liqueficit in massam homogeneam, quæ tam per aquam quam spiritum ardenter postea solui, sive vasa corporis humani penetrare valet. Vnde nostrum sal tanquam desideratum & egregium menstruum se se gerit.

§. LII.

Si primarum viarum speciale habeamus rationem, digestuum erit dicendum & stomachicum. Certe enim sali-

saliuam, liquorem gastricum, lympham pancreaticam, succos insipidos fere, qui nec acidæ nec alcalinæ naturæ sunt, blande acuere, & virtuti saponacea bilis, qua pingue chylum aquæ miscibilem reddit, succurrere, eamque, si deficiat, supplere valet. In cruditatibus ergo viscidis, succorum iste rum vim obtundentibus, vbi appetitus, digestio & nutritio labefactantur, ructus, flatulentia, colica pituitosa, tensiones hypochondriorum oriuntur, & in primis febrium intermittentium fomes ponitur, cum fructu usurpatur, præsertim si eosque proportionata dosi, nempe a scrupulo ad drachmam dimidiam, continuetur, donec resolutæ materiæ per alvum, & vrinam leniter promoueantur. Si arcum tartari ad guttas quadraginta, sexaginta, repetitis pro circumstantiarum ratione dosibus, vino exhibeat, tum excellentior euadet virtus stomachica. Reliqua enim salia, spiritui vini non obedientia, ideo sepius postponuntur aliis digestiis amaris & acribus, quæ, e radicibus & corticibus parantur, quia illa tono ventriculi non simul propiciunt, nec peculiarem alimentorum fermentationem chylificatoriam ita adiuvant. Arcanum vero tartari tam fluidis quam solidis in ventriculo partibus opem ferre videtur, eo magis quia ab omnibus fecibus iam depuratum nullas ventriculo molestias creat, sed vires suas sponte porrigit. Inter pulueres autem digestiios nemo, qui promptitudinis deliquescenti memor est, terram f. t. præscribet.

§. LIII.

In atrophia, morbo potissimum infantibus infesto, tumido ac duro eorum abdomen, a glandularum mesenterii obstructione ac tunice villosæ obuiscatione nato, singulariter sane conductit. *Exc. Presidi* a multis annis in usu est terram f. t. cum tintura antimonii tartarisata æqua-

quali pondere miscere; Siquidem facile inter se ineunt connubium. *Liquor* autem terra f. t. ob gravitatem specificę maiorem fundum in tintura hac petere obseruatur. Dictam mixturam, vnitis viribus efficacem, vti in multis aliis affectibus morbosis, sanguinis & lymphaticorum humorum resolutionem indicantibus, ita in primis etiam atrophicis insigni cum effectu præscribit, ita, vt, interpositis laxantibus mercurialibus, quamplurimos hac methodo per Dei gratiam intra aliquot hebdomadarum spatium exoptatae sanitati restituerit.

§. LIV.

Nec in dubium vocari possunt virtutes polychrestæ, quas in multis aliis infantum maxime affectibus, liquor præprimis terræ f. t. exserere solet. Corrigendo enim & euacuando est tam efficax, quam blandum & securum remedium. Vnde sane affectus catarrhales infantibus frequentes, e. g. tussis, coryza, oculorum & aurium manationes serofæ, opkleptiones pectoris, crusta lactea, & alii cutanei; porro glandularum tumores, plurimique ab immodica lactis & ceterorum alimentorum spissorum infarctu, & ab impeditis excretionibus oriundi morbi leuamen in eo inuenient non exiguum. Cumque in tenellis eiusmodi excludantur omnino essentiæ catarrhales spirituose & calidæ, neque locum facile habeant diffusæ & crudiores formulæ variarum radicum, terrarum, magisteriorum, calcium fatuarum, tum usus huius liquoris tanto commodior est, quia aliquot tantum guttæ pro dosi exhibentur,

§. LV.

Præterea cum virtus tam penetrabilis & saponacea non terminetur tantum intestinorum, vasorum lacteorum vel glandularum mesaraicarum tractu, sed immiscatur etiam ipsi sanguini venæ caue, & inde ulterius confun-

fundatur cum humoribus corporis & viscera attingat vitalia: tum de laudabili, quem in spissō & coagulato sanguine praestat effectu, habent in primis quod sibi gratulenter hypochondriaci, melancholi i, hystericae, dum haemorrhio, illi haemorrhoidali sanguinis fluxu defituuntur, & quoctunque visceris, praeципue cum systemate venae portae communicantis, ut: hepatis, lienis, pancreatis infarctu vel vera iam obstructione laborant. Quibus in casibus exacerbatis non raro Exc. Praeses laudabilem expertus est efficaciam mixturæ §. LIII descriptæ, in primis vbi coniungebantur pilulae balsamicæ roborandi, incidendi, abstergendi & lenissime euacuandi virtute efficaces.

§. LVI.

In quartana febre, scandalo alias medicorum dicta, nostrum sal, siue in liquore, siue arcano tartari exhibitum, non potest non bonas ferre opes, sociandum adhuc cura conuentientibus aliis incidentibus, amaris roborantibus, praecipue tinturis alcalinis pro lubitu feligendis. Modo sufficienti quantitate patienter continentur, id quod in multa sanguinis spissitudine, ne dicam visceris iam facto infarctu, omnino requiritur. In febribus secundariis lentis vel hecticis, lesionem visceris vel imminentem, vel iam presentem comitantibus, vbi, ne natura febrilibus abstergoriis motibus se ipsam consumat, abstergendo ei succurrere primaria medicina est indicatio, sal nostrum tartaro vitriolato, quem nonnulli sal balsamicum salutant, palmam dubiam reddit. Quanquam enim si pretii vilioris rationem habeas, tartarus vitriolatus utique præoptetur, subtilitate tamen & blanda indole saponacea abstergente, a nostro sale superatur.

§. LVII.

In nephriticis & calculosis affectibus tantum non ab

F
omai-

omnibus materiae medicæ scriptoribus commendari solet. Blande enim abstergit renes, & absque periculosa vehementiæ metu diuretica virtute purificat & a fabulo liberat. Nota mihi sunt exempla eorum, qui diuturniore arcani tart. vñu (qui forsitan congruentius menstruatim luna decrecente repetendus suaderetur) adeo subleuati sunt, vt se penitus restitutos crediderint. Quod porro etiam conducat arthriticis, podagricis, aliisque qui motibus spasticis & hæmorrhoidariis afflicti sunt, & in quibus affectibus resolutio, abstersio, eliminatio humorum, abundantia, spissitudine, acrimonia peccantium intenditur: experientia calculum suum adiicit. Quanquam enim ad nobilem ant-orgasticam, antibiliosam & temperantem virtutem præstantissimi miri vix accedat, non omnis tamen partium sanguinis bilioso-sulphurearum correctio fali nostro erit deneganda, & satis nihilominus nobis faciet dum materias noxias, quæ spasticis motibus ansam præbent, & consectaria morbosca remouere solet. Notabilis de efficacia liquoris in fluxu hæmorrhoidum etiam nimio, extat locus in *Dissert. de salibus metallorum A. 1710.* a *Kunstlio, Archiatro Coburgensi, conscripta,* qui p. 8. ita dicit: *Fluxum hæmorrhoidum nimium, perinacem & valde debilitantem, post varia alia in cassum tentata remedijs per solum liquorem terre f. t. potui ordinario instillatum, satis promite & sine alio graviori incommodo mitigatum noui.*

§. LVIII.

Directe magis opponi potest terra fol. & arcantu tartari illis morbis, quorum causa proxima ponitur in retentione humorum serosorum & biliosorum, excretioni iam destinatorum, nimirum edemati, cachexiæ, hydropi vniuersali & particulari, ictero & similibus. Vbi semper commode simul pro circumstantiarum ratione uniri

niri possunt ea, quorum virtus in dictis morbis iam specificè utilis experta est. Hic autem quam maxime inculcandum esse duco, ut in eiusmodi qualitatis manifesto vitiosè morbis medicamenta non ita parca dispensentur manu, vt in aliis fieri solet, ubi motuum erroneorum potior habenda est ratio. Confer. hic *Cel, Bonnius Libro de officio medici duplici p. 246.* Monitum quod hic expertus Practicus circa iusto exiliorem alterantum dosin citato loco exhibet, eo turius circa salis nostri usum sequi possumus, quo magis auctior eius dosis, præter effectus alterantes & resoluentes, excretiones simul, vt iam monuimus, promouet, quibus in allegatis morbis non facile carere possumus ; quantumcunque enim, sunt verba *Exc. Presidis in Therap. Gener. p. 9. preparata* & corredata fuerit materia peccans, illam nihilominus evacuandam esse firmissime credas ; in gratiam enim cum humoribus laudabilibus tantum abest, ut redat, vi potius impuritates augeat, salutarium excretionum cursum interpellet. Conferatur huc quoque egregius locus practicus ex *Wedelii Amoenitatibus mat. med. p. 71. & 72. de aperientibus.*

§. LIX.

Actum me acturum esse arbitor, si circa recensionem plurium morborum, in quibus salutariter usurpari posset sal nostrum, diutius hærerem, satis enim iam facere possunt, quæ haftenus specialiter excussa sunt. Ex his enim quilibet rationalis Medicus ad alias casus applicationem facere potest, & nullus dubito, fore multos, qui ex practica sua experientia nostris longe nobiliora pasim addere valeant. Dispiciamus nunc adhuc de *præparatis* pharmaceuticis quæ sal nostrum recipiunt, & consideremus, quantum per hæc usus illius amplificetur.

§. LX.

Raro quidem prostant in officinis nostris pharmaceuti-

ceviticis eiusmodi præparata, imo in multis plane deficiunt: Interim nota est *Zwelfferiana Tinctura martialis*, quæ terram f. t. cum vitriolo martis basin habet. Hæc laude sua, si quæ alia martialis, certe non est defraudanda, ob pretii tamen magnitudinem plerumque deficit; præcipue quia martiales viliores habemus, quæ quod ad rotum roborandum attinet, illi non cedunt. Ita enim e. g. *Ludouiciana* adeo extollitur, ut in *Hist. Morb. Vratisl.* A. 1702. p. 127. & p. 153. stomachica roborans sine pari dicatur.

§. LXI.

Elixiris proprietatis Paracelsi ope terræ f. t. parandi, mentio quoque a multis sit auctoribus, qui virtutem salis nostri soluentem in oculis gerunt, qua gummoso-resinosa, salina & mucilaginosa in partes minimas, ceu feminales, virtute tamen illibata, reducuntur & humoribus nostris miscibilia redduntur. Sed & hoc, ita parandum, vix unquam inuenitur. Non inutile autem me facturum confido, si ea, quæ de præparatione & efficacia talis Elixiris per experientiam amici cuiusdam Practici milii innotuerunt, hic recensem.

§. LXII.

Erat autem præparatio sequens: Rec. Croci opt. myrræ el. aloes opt. partes æquales q. l. puluerisatis affundatur de arcano tartari bene parato, quantum requiritur, ut evadere possit elixir colore quidem ita saturato, ut sanguinem referat, consistentia autem minime sit spissum; reponatur ad lenissimam digestionem per octo vel plures dies. Ita myrræ & aloes tota substantia, relicta tantum ad fundum paucis impuritatibus, solvuntur, & integratam amaritatem ita deponunt, ut non coniceres aloen concurrere vel myrrham, sed gratissimum gustui sit medicamentum balsamicum. Cum enim mens non sit, in tali

tali elixire totum virium effectum ab aloë, croco & myrrha postulare, sed & ipsius arcani tartari virtutes, quas non tantum ceu menstruum, sed etiam tanquam egregium medicamentum habet, hic considerare: tum necesse est, ut elixir consistentiam non spissam, sed dilutam habeat, præcipue quoniam e.g. myrrha in forma tam subtiliter soluta exigua mole decuplo plus præstat quam eadem in forma extracti. Conf. Ext. Stahlii Chem. ration. p. 115. Quando autem hæc cautela negligitur, tum medicamentum aetiuitatis nimis calidæ metum facile incutere potest. Notandum etiam est, quod si spiritus vini non adhibetur rectificatissimus & purissimus, vel si elixir iustæ tenuitatis gradum excedat, tunc non obtineatur ista, quam descripsimus, balsamici saporis gratia.

§. LXIII.

Duo hæc medicamenta, nempe *Elixir proprietatis Paracelsi*, & *arcanum tartari simplex*, quoniam inter arcana a memorato Practico habitentur, famam isti pepererunt non exiguum; quam equidem ego non miror, dum egregia eorum & polychresta effecta edocitus sum. Testimoniis loco aliquot, quorum recordor, adducam exempla: Vir quidam, alias laboriosus, incidebat in febrem intermittentem, quæ in typum adeo anomalum successive conuertebatur, ut modo febrem tertianam simplicem, modo quotidianam, modo tertianam duplicatam, modo continuam referret; & cum a Medico quodam non infirmæ sortis diu absque salutis spe tractata esset, æger viribus ita exhatiebatur, ut extra lectum se tenere amplius non posset, & prognostico relictus lenta febre obiturus crederetur. Incidit autem in manus illius Practici, qui suum *Elixir proprietatis* ad guttas quadraginta ter quaterue quotidie sumendum ordinabat. Sic, Deo

F 3

T.O.

T. O. M. benedicente, intra breve tempus cum admiratione conuoluta.

§. LXIV.

Mulierem noui plebeiam, quæ, nescio qua data causa, graui hemiplexia corripiebatur. Cum autem accepisset, in statu morbi adhuc recente, idem Elixir proprietatis, intra aliquot hebdomadas ex voto restituebatur. Accidit quoque ut Uxor ipsius Practici, de quo loquor, in puerperis suis fluxus lochalis difficultate laboraret, & ob hanc causam, medicamentis aristolochicis sine fructu antea exhibitis, tandem venæ sectionem in puerperio admittere cogeretur. In sequentibus aurem puerperis per huius elixiris usum, mox post partum congrue exhibitum & paulisper continuatum, omnia in ordinem & tranquillitatem redigerentur. Penes alios in appetitu prostrato, labefactata chylificatione & diarrhoeis eximios praestitisse vius, ipsemet iterum testis sum. Quemadmodum etiam in hydrope, nondum confirmato, effectus spe maiores edidit. Plures adhuc causas hac de re possem referre, nisi reliqua circumstantiae memoria excidissent. Qua de causa subsistere potius in paucioribus exemplis, quam mutila proferre par est.

§. LXV.

Ante tamen quam laudatum penitus deseramus medicamentum in ulteriores usus pharmaceuticos præparationem eius convertere volumus. Scilicet notum alias est, myrrham continere duplēcē substatiam, alteram gummosam, aquo menstruo solubilem, alteram resinosam, spirituoso obedientem. Cum vero illa in dicto elixire per arcanum tartari duplēci tota sua substantia cum spiritu vini adunetur, methodum inde discimus ex reliquis etiam vegetabilibus essentiis longe nobiliores, & ob salis concursum temperatores, conficiendi, quæ non resinosas modo, sed omnes partes ex vegetabili optandas continent, secus ac si purum spiritum vini adhibuissimus. Et si spirituoso calidum plane abesse velimus principium, loco arcani tartari substitui poterit liquor eiusdem terræ foliata. Ex eadem ratione *elixir aperiuum Clauderi*, quod sine spiritu vini paratur, magni habetur. Denique ita confar, quam egregie liquor terre f. t. etiam infernire possit myrrha, quando pilularum compositioni destinatur, prius præparandæ & adaptandæ; vbi tamen dolendum est, quod pilulae myrrham talem in consortium adeptæ, in aëre humido a deliquescentia non facile defendi possunt.

§. LXVI.

§. LXVI.

Finem nunc imponeremus Dissertationi, nisi aurem adhuc vellicarer dubium: cur terra f. t. si iuxta haec tenus exposita tantis laudibus sit digna a Medicis tam raro praescribatur, sed illi tartaro vitriolato plurimque conteni sint? Ex iis autem quæ superius iam dicta sunt, intelligimus quod sumtum differenti rationi id tribuendum sit. Postulavimus enim ad genuinam & puram arcani tartari præparationem sal tartari, acetum & spiritum vini. Triga hæc vitis productorum cariori omnino redimenda est pretio, in istis maxime terris, quas sapientissimus creator vites alere noluit. Verum enim vero hoc dubium solutum porrigit questionem minime prætermittendam: videlicet annon viliori methodo, salvis tamen virtutibus, arcanaum tartari parari posit, & annon liceat sali tartari substituere aliud sal alcalicum; aceto vini, acetum aliud; & spiritui vini spiritum ardenter minus pretiosum.

§. LXVII.

Negari quidem non potest, maturum vitis succum tantum non inter omnia, quæ regnum vegetable suppeditat, fermentationis subiecta caput efferre. Interim cum sal tartari porius ut *ignis novum productum* (§. VI.) acetum vero vini eiusque spiritus ardens tanquam fermentationis *nova producta*, que ex musto formaliter educi nulla arte potuerunt, consideranda sint; tum confecta omnino inter eruditos res est, quod ex aliorum quoque vegetabilium sale & sulphure sal alcalinum, sali tartari quam simillimum per ignem coagetur; quodque per fermentationem ex sale, oleo & terra aliorum fermentabilium liquorum, acetum & spiritus ardentes præparari possint.

§. LXVIII.

Inter salia alcalia minimi pretii sunt cineres sic dicti clavellati. Hi puritate quidem cedunt sali ale. tartari, quoniam ordinario aliquid salis medii amaruliculi admixtrum habent; facili vero opera per solutionem in aqua frigida, vel deliquescentiam spontaneam possunt depurari. Ideoque nihil obstat, quo minus sali tartari cariori substituantur. Ipse experientia certior factus sum, arcanaum tartari ex cineribus clavellatis cum aceto & spiritu vini paratum, nulla nota a genuino distinguiri potuisse.

§. LXIX.

Magis forsitan de vero spiritus vini succedaneo quispiam dubitata.

ter.



ret. At nec hic consilio nos destituit Chemia, in eaque egregie a doctis viris exulta zymotechnia. Non meum autem iam esse existimo, latitis, quæ hac pertinent, diducere, licebit tamen argumenti loco citare ex *Cel. Boerhaui Chemia* qua T. II. p. 191. Proc. XLIII. de mali idonea fermentatione docet: quod nimirum cereuisia, secundum descriptam ibi methodum parata, si destilletur, prima vice datura sit spiritum ardenter tam fulcrum, quam villo de vino unquam arte producatur, eumque fragrantissimum, nullo omnino nido ingratu imbrum. Ita, inquir, expertus ipse didici vix differre talen cereuism a vino generosissimo,

§. LXX.

Quemadmodum itaque per experientiam certum est, parari posse de meraca annosa cereuisia alcohol non discernendum de alcoholi vini laurissimi: Sic eodem certitudinis fundamento nititur, quod cereuisia fortissima, annosa, arte exposita, abeat in acetum æque bonum, purum, utile ad usum quemlibet, quam id quod vñquam confici poterit ex vino laudatissimo, nec facile reperiatur discrimen, nisi quatenus cereuisia conseruandæ ordinario amara quedam, color & odorem alienum concilianta, addi soleant.

§. LXXI.

Quare tota res huc redit: nos non destitui scientia acerum & spirituum ardenter ex cereuisia acquirendi, quæ ipsis ex vino productis postponere nefas foret; illa vero, quæ ordinario habemus, puritate & gratia his omnino cedere. Adeoque ii, qui pretium tantopere non curant, ab ipso vino non facile recedere debere. Interim forsitan confusum forer, arcum tartari in officinis illorum locorum, in quibus cereuisia potus viget, dupli modo paratum habere, altero quidem ex cereuisia, altero autem ex vini productis contextum; & utrumque tamen decompositum eodem iure arcum *tartari* vocari posset, quo sal tartarium vocatur *alcali*.

§. LXXII.

Denique si acerum etiam simplex, non destillatum, lubeat cum sale quodam alcali ad punctum usque saturationis miscere, non inefficax quidem proveniet medicamentum, siccum vero & purum sal in fo. ma foliata expectari hac via non debet, sed magma tantum obtinetur, quod

spiritu vini poterit solvi.

S. D. G.


Halle, Diss. 1733

ULB Halle

004 928 121

3





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1
Centimetres

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319</